

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo die Simonis & Judae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In festo die Simonis & Judæ.

Evangelium, Ioh. 15. v. 17. -- 21.

EXORDIUM.

CUm Patriarcha Abraham, & Patruelis ejus Loth, in una regione cohabitarent, & rixa fieret inter Pastores gregum, quia uterque dives erat in possessione pecorum, valde id displicuit Abrahamo, ideoque dixit ad Loth: Ne quaeso, sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. *Ecce! universa terra coram te est, recede à me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, Gen. 13. v. 8.*

Hoc egregium exemplum est, quomodo concordia studere, & potius cedere, quam rixis rem agere debeamus. Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, Psal. 133. v. 1. 3.

Idque pii Veteres docere nos voluerunt, quod hodiernum Evangelium in diem Simonis & Judæ, qui fratres fuisse censentur, ordinarunt. Quia æternus Dei filius discipulos suos in eo ad caritatem Christianam hortatur, & valedicens *testamentum pacis iis ordinat*: ut adversus mundum & infernum uniti, quo plus diabolus sæviret, eo magis eidem se opponerent. Nam si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei: funiculus triplex difficile rumpitur, Eccl. 4. v. 12.

Præcipue vero hic commonemur, quod licet in Apostolico Collegio, *impius Judas & Apostata sit*, qui mercede injustitiæ conductus, à Christo deficit, eumque prodit:

adhuc ex adverso *pious aliquis Judas* invenitur, cui Christi doctrina & gloria potior est, quam omnes thesauri & divitiæ universi mundi: Ita Servator semper aliquos Lebbæos & Thaddæos in mundo habebit, qui nomen ejus diligant, laudent & celebrent, licet aliqui cum Juda deficiant, & diabolo se mancipent, si & ex lapidibus illi fuscitandi essent, Luc. 11. 8.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii tractationem pergemus, tractaturi ex eodem:

I. *Ἀρθρολογίαν* sive *notitiam nostri.*

II. *Ἐξηγησίαν*, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Exegesis.

Quemadmodum inter duos hosce Apostolos, quorum memoria hodie celebratur, Simon præcedit, Judas vero sequitur: ita & nos omnes seduli Simones ante simus, verbumque Dei audiamus oportet, si Christum recte agnoscere, & ut nomen Judæ indicat, ore & animo imperterrito coram mundo confiteri velimus. Sicut & Christus hoc præfigurare voluit, quod muto & surdo, prius aurem aperuerit, & deinde linguam solverit, ut indicaret, quod audire & loqui se invicem consequi debeant. Credidit enim, propter quod locutus sum, ait David, Psal. 116. v. 10.

Hhhh

A 17

Αθηρωπολογίαν igitur prius hinc disce-
mus, & *notitia Christi* eò melius in cordibus
nostris radicabit & crescet.

Hic enim agitur:

1. *De amoris studio.* Hæc mando vobis, in-
quit Servator, ut diligatis invicem.

Edicta Perfarum & Medorum transgre-
di illicitum fuit, ut quæ statim perfici oportuit,
Esther. 1. v. 19.

Atqui non negandum sane est, omnes
leges eo sine promulgari, ut servari sine
transgressione debeant: *Lex enim sine exe-
cutione, est sicut campana sine rophalo*, ut Jo-
hannis Friderici Ducis Saxonie Consiliari-
us intimus dicere solitus est: attamen exe-
cutio uno in loco severior est, quam in alio,
& est extra dubium, Persas & Medos in exe-
quendis decretis suis magno rigore usus fu-
isse: sicuti superbiens Vasthi continuò ad
mandatum Regis, propter pertinaciam co-
rona Regia privata experta est.

*Hic non Persarum & Medorum, sed Chri-
sti lex est, Regis Regum, & Domini Domi-
nantium, nempe lex de fraternâ dilectione*,
de qua ipse ait: Hæc mando vobis, ut diliga-
tis invicem. Ideo nostrum erit, eò magis o-
peram dare, ut eandem re ipsa impleamus.
Est enim lex Regia, ad quam servandam o-
mnes obstricti sumus, & qui eandem per-
ficit, bene facit Jac. 2, 8.

Hic inspicias velim te, mi Christiane!
utrum hoc de dilectione præceptum unquam
recte observaveris, & ad illud vitam tuam
& Christianismum composueris? Non dubi-
to, quin post accuratam inspectionem de-
prehensus sis, quod in officio observan-
do nimis remisse egeris.

Christus hic requirit:

1. *Dilectionem intimam*, quæ non modo
in gestibus externis se exercit: sed & sedem

in corde habet, alienam ab omni vafricie &
hypocrisis, quo spectat admonitio Pauli,
dicentis: *Dilectio sine simulatione: caritate*
fraterna vos invicem ex animo profequen-
tes, Rom. 12, 9. 10. & iterum: *candidi simus*
in caritate, Eph. 4, 15. nec non admonitio Jo-
hannis: *Non diligamus verbo, neque lin-*
guas: sed opere & veritate, 1. Joh. 3, 18.

Ejusmodi amor fuit inter David & Jona-
than, quorum alter alteram sicut animam
suam dilexit, 1. Sam. 20. v. 17.

Item *inter Ruth & Naemi*, qui divelli
non poterant præ caritate, adeo, ut Ruth di-
ceret: *Quocumque perrexeris pergam*, Rut.
1. v. 16. 17.

Hodie hæc *cogitas* plane refriguit, & *ra-
ra avis in terra est*. Ideo merito cum Siraci-
de miramur, de infidelitate & malitia mundi
Sir. 27. v. 3. seqq. Sæpe os dicit *Ave*, cor vero
cogitat *Cave*, & ubi tibi malum obvenisse
vident, latantes dicunt: *Euge, Euge*; Ps. 70.

Quod si & tu in horum numero fuisti,
Deum invoca, ut tibi peccatum hoc condo-
net, nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4, 21.

2. *Dilectionem reciprocâ*. Hæc mando
vobis, ait Christus, ut diligatis vos invicem
In Græco est *εἰς ἀλλήλους*, quo indicatur, ut si
quis à proximo diligatur, eundem recipro-
ce diligat, nec bonum malo rependat, qui e-
nim reddit mala pro bonis, non recedet ma-
lum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

Verum si mundi hodierni ingenium re-
spicimus, *ingratitude tantæ est*, ut non im-
merito cum Davide querendum: Pro eo,
quod ego dilexi, ipsi adversantur mihi, Psal.
109. v. 4.

Hanc *infidelitatem parentes à filiis, Ma-
gistratus à subditis, & verbi præcones ab au-*
ditoribus suis experiuntur, ubi semper Un-
dant *in sine laborum*. Hinc Diogenes in-
ter-

terrogatus, *quid velocissime senesceret*: respondit: *Beneficium*, quia tam facile ejus obliviscantur homines. Sed nefandum est peccatum. *Ingrato enim homine terrapens nil creat*, ait Aufonius. Ideo in scripturis generatio prava atque perversa appellantur ingrati, Deut. 32. v. 5. quos certa poena manet. Non enim ei bene, qui elemosynas non compensat, Sir. 12. v. 3.

Quod si & tu cum ingratis, hæcenus fuisti, recede ab illis, & amantem te redama, & adimplebis legem Christi, Gal. 6. v. 2.

II. *De mundi ingenio*, qui omnes illos odit & persequitur, qui cum Christo faciunt, ideo Servator ad discipulos suos: Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Per mundum hic non intelligitur structura mundi externa: quæ opus & creatura Dei est, Gen. 2. v. 7. *sed impij in mundo*, qui plerumque cum principe suo diabolo emergunt, ut pii Christiani ejus purgamenta & peripsa esse teneantur, 1. Cor. 4. 13. quod in paradiso initium sumit, Gen. 3. 15. & continuabitur ad cõsummationem seculi, nulla enim conventio est Christi ad Belial, 2. Cor. 6. v. 14.

Hic scruteris velim te, utrum & ipse mundo assimilaveris te, & ad ejus exemplum, proximum tuum odio & persecutione presseris?

Id in omnibus Hierarchiis fieri amat. In Ecclesia ejusmodi Capricorni inveniuntur, qui juxta affectus suos prædicant, & publice alios perstringunt, non habita ratione graduum admonitionis, quos Christus observandos præscripsit, Matth. 18. 15.

Idem non raro evenit in *Politia*, ubi sæpe

inops cum iusta sua causa condemnatur, & opulentus, qui in ære habet, cum injulta sua causa absolvitur, exemplum potest esse Naboth, 1. Reg. 12. 7. seqq. Hic querela Habacuc locum habet: Quando sunt lites iudicium sublatum est, quia leges languent, & non pervenit usque ad finem iudicium: quia impius circumvenit iustum, propterea egreditur iudicium perversum, cap. 1. v. 4.

In æconomia eadem fabula agitur, inter vicinos, fratres, sorores, affines, famulitia, & si qui sunt alii, ubi semper alter alteri invidet, & fortunam alterius impeditum it. Ita Laban genero suo *Jacobo* invidet, quod Deus ita affatim ei benedixerat, ideoque odio habebat, Gen. 31. 1. Ita Palæstina *Isaac* invidentes dixerunt: Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde, Gen. 26. v. 16. Sic *Daniel* invisus fuit principibus & satrapis, non alia de causa, quam, quod superaret eos, & spiritus amplior esset in illo, Dan. 6. 5. Sic adhuc hodie *fortuna comes invidia* est: ex adverso vero *sola miseria caret invidia*. Sed vitium est turpissimum, sicut enim ærugo consumit ferrum, sic putredo ossium invidia, Prov. 14. v. 30. quin & cœlorum regno excludit, Gal. 5. 20.

Quod si igitur in examine tui deprehendis, quod odio & invidentia mundo te assimilaveris, abstine ab illo vitio, & operam da, ut in posterum animam tuam immaculatam custodias ab hoc seculo, Jac. 1. v. 11. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Hic vero opus est:

1. *Oculorum velum*, ne à concupiscentia oculorum fascinemur, 1. Joh. 2. v. 16. Hinc
Hhhh 2 Salo-

Salomo: Ne intuearis vinum, quando rubet, Prov. 23. v. 31. seqq. & Christus ipse: Omnis, qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, &c. Matth. 5, 28.

2. *Lingua frenum.* Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam à malo, 1. Pet. 3. v. 10. Pro. 16. v. 26.

3. *Carnis flagrum:* Concupiscit enim adversus spiritum, Gal. 5. v. 17. & ad malum prona est, ab adolescentia sua, Gen. 6, 5. ideo coerceri ea debet. Si secundum carnem vixeritis, moriemini Rom 8, 13.

Ita nos à mundo separare & consortio eorum valedicere debemus, qui in opem & viliores odio habent, & persequuntur. Videbunt aliquando illi, in quem pupugerint, Joh. 19, 37. quando Deus sanguinem suorum iudicabit & vindicabit, Apoc. 6. v. 10.

III. *De persecutorum zelo,* de quo ita Servator: Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Id Paulus vocat æmulationem habere, sed non secundum scientiam, Rom. 10. v. 2. Ipsi enim fidem non habent, & tamen alios odio habent & persequuntur, quia sibi non ad stipulantur: hoc ipso committunt duplex peccatum, ideoque & duplex pœna eos manet, ut tanquam viri sanguinum non dimidiaturi sint dies suos, Psal. 55. v. ult. & ut hostes veritatis in stagnum præcipitentur, quo pertinent, qui amant, & faciunt mendacium. Apoc. 22, 15.

Hic probate, mi Christiane! utrum & ipse in notitia Christi parum fundatus, non nunquam præpostero zelo abripiaris?

Intuearis velim Iudæos, quanto zelo agantur super nomine Jehovæ, ut illud neque appellare neque scribere velint, sed ejus vice utuntur nomine Adonai, nec ullum librum

nudis manibusprehendunt, in quò nomen Jehovæ per scriptum sciunt: quin occiderentur prius, quam carnem suillam comederent, sabbatho ignem alerent, vel aliud opus facerent, quod in Dei lege prohibitum arbitrantur.

Baalitæ tanto zelo impium cultum prosequabantur, ut se juxta ritum suum cultris & lanceolis inciderent, donec perfunderentur sanguine, 1. Reg. 18. v. 28.

Quam perverso zelo Pontificii, cum capite suo Papa Romano abrepti sint, notius est, quam ut hic recenferi mereatur. Verum de ipsis & omnibus tyrannis Christus hic ait: Nesciunt eum, qui misit me. Ideo non quodvis æmulari bonum est, sed illud saltem, quod in bono fit, Gal. 4, 18.

Optandum autem foret ut solummodo apud hostes Evangelicæ veritatis, extra ecclesiam cœcitas ejusmodi locum haberet, quid enim nobis de iis, qui foris sunt judicare? 1. Cor. 5, 12. Sed experientia prohi dolor testatur, & inter nos esse, qui ignorantia hæc laborant, ut Christum nesciant, nec eum, qui misit eum. Quid vero de ejusmodi hominibus dicendum? Sane non melius sunt equis & mulis, Psal. 32, 9. Quin deteriores multo sunt, si spectamus pulcherrimam istam imaginem, ad quam à Deo conditi sunt, Gen. 1, 27. Equi enim & muli ratione præditi non sunt: verum homini Deus animam rationalem inspiravit, ut sciat eligere bonum, & reprobare malum, Esa. 7. v. 26. Ideoque pœna ejus die novissimo eo gravior erit. Cui enim multum datum est, multum quæretur ab illo, Luc. 12. v. 48. nec est, ut hic quis ignorantiam suam prætendat. Si enim non venissem, ait Servator, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato.

to suo. B. Lutherus ita hac de re scripsit :
Unwissenheit wird nicht entschuldiget / sol
ein Christ nicht wissen / was ihm zu wissen
ist? Warum hält man nicht gute Prediger?
Man wil mit Willen unwissend seyn.

Veri Christiani imitari debent nobilio-
res Thessalonicenses, qui quotidie scruta-
bantur scripturas, Act. 17. v. 11. Ananiz spi-
ritus adhuc inter nos per ministerium effi-
cax est, qui illo sedulo utitur, & verbum Dei,
prout decet, audit: illi squama errorum de
oculis decident, & indies magis illuminabi-
tur, Act. 9. v. 18. Imprimis, quando studiosè
cum Davide orat: Revela oculos meos, &
considerabo mirabilia de lege tuâ, Ps. 119, 18.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem,
ἡ ἐπιστολή, sive notitiam Christi,
meditaturi. Hic nobis contemplandus
proponitur:

I. *Tanquam noster praeceptor.* Propterea
ait: Hæc præcipio vobis, ut diligatis invi-
cem. Est enim Rex noster, & quidem Rex
Regum, Apoc. 19. v. 16. Quis igitur obtem-
perare nolit, cum primis cum tanta poten-
tia valeat, ut possit & animam & corpus
perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28. Est
Magister noster, Joh. 13. v. 13. qui nos docet
utilia, Esa. 48. v. 17. Quis igitur disciplinam
ejus non susciperet? si quidem Deus expres-
sè dicit, quod, si quis verba ejus, quæ lo-
quitur in nomine suo audire noluerit, ille
ultor existere velit, Deut. 18. v. 19. Est pastor
noster, & quidem fidelis ille ἀρχιποιμὴν,
1. Petr. 2. v. ult. qui Israel deducit velut ovem,
Psal. 80. v. 2. Quis vocem ejus non audiret?
Ipse siquidem ait: Oves meæ vocem meam
audiunt, Joh. 10. v. 29.

Atqui præceptum ejus est, ut diligamus
nos invicem, idè non in arbitrio nostro
relictum, velimusne id facere, an minus?
mandatum id nobis est, sub jactura gratiæ
Dei & æternæ salutis; qui enim fratrem
suum non diligit, non ex Deo est, 1. Joh. 3.
v. 10. h. e. non ad regnum Christi pertinet,
sed in synagogam satanæ, Apoc. 3. v. 9.

Moses Israëlitis multa præcepta dedit:
quos deinde Rabini in præcepta affirmati-
va & negativa diviserunt: affirmativorum
numerarunt trecenta sexaginta quinque,
quot dies in anno sunt: negativorum du-
centa quadraginta octo: Verum pleraque
nos non amplius obstringunt in novo Te-
stamento, Prophetæ enim & lex, usq; ad Jo-
hannem prophetarunt, Matth. 11. v. 13.

Interea lex Christi de fraterna caritate in
suo valore perstat, ut ad illam implendam
obligati simus, est enim ipse Dominus de
cælo, 1. Cor. 15. v. 47. de quo pater ejus
cælestis: Hic est filius meus dilectus, hunc
audite, Matth. 3. v. ult.

Quod si igitur videri velis, te quoque ad
speculum Christi pertinere, & verè discipu-
lum ejus esse, Joh. 8, 31. aut obsequentem e-
jus oviculam, Joh. 10, 27. mandatum de dile-
ctione observes oportet, hæc verū insigne
est, in quo veri Christiani cognoscuntur,
Joh. 13, 35. imprimis, quia dilectio ejusmodi
virtus est: ut in ea consistat impletio legis,
Rom. 13. v. 10. Matth. 22. v. 37. 40.

II. *Tanquam noster præcursor.* Ideo dicit:
Si mundus vos odit, scitote, quia me prio-
rem vobis odio habuit. Chrysostomus
scribit, quod τὸ πρῶτον sive πρότερον non
modò prioritatem temporis, quod Chri-
stus ante persecutus sit, sed & prioritatem
dignitatis importet, quo tanquam filius
Dei consolatorium argumentum eò fir-
mius

H h h h 3

mius

mius efficeret, & nemo tergiversaretur id pati, quod filius Dei passus est. Hinc Petrus ait, quod reliquerit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Hoc maximum est in persecutionibus: Afflictio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19.

Sequamur Christum in oratione, ut nos docuit: Sic ergo orabitur, pater noster, qui es in cælis, Matth. 6. v. 9. Atqui necessitas rectè orare docet, hinc David: In tribulatione mea invocavi Dominum, Ps. 18. v. 7.

Sequamur eum in humilitate, mansuetudine & patientia, Matth. 11. v. 29. Atqui persecutio hanc proprietatem habet, ut humilitatem in nobis excitet, Jer. 30. v. 11. & patientiam operetur, Rom. 5. v. 3.

Sequamur eum in pugna adversus diabolum & mundum, Luc. 11. v. 14. 22. id tempore persecutionis optimè discere poterimus, quæ nobis arenam ostendit, quam Deus ordinavit omnibus, qui bonam militiam militare volunt, 1. Tim. 1. v. 18.

Sequamur eum in compassione erga proximum, ut & nos necessitati sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. sicut Christus pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38. Id nos docet tribulatio & persecutio. Velut enim Christus inter alia ideo tentatus est, ut compati possit infirmitatibus nostris, Heb. 4. v. 15. ita quilibet membrorum ejus dicere potest:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Hinc mandat Deus: Peregrino molestus non eris, Exod. 23. v. 9.

Sequamur eum in terrenorum contemptu, ne cor iisdem apponamus, sed obliviscamur eorum quæ retrò sunt, ad ea verò, quæ sunt priora nos extendamus, Phil. 3. v. 14.

Hoc iterum in *scholâ tribulationis* discimus, quâ mundus nobis inimicus redditur, ne diligamus eum, 1. Joh. 2. v. 15. sed quæ sursum sunt, quæramus, ubi Christus est, Col. 3. v. 2. Sicut igitur Deus pater cælestis beneplacitum habet in filio suo, Matt. 17. v. 5. Ita & nos, quò magis imagini ejus conformamur, eò gratiores ei erimus, nam quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, Rom. 8. v. 30. 31.

Ad hoc præcipuè animare nos debet exemplum Christi, quod est *exemplum exemplorum*, ut Augustinus loquitur, ita ut nihil adversi nobis obtingere queat, quod & Christo non antea obtigerit. Tentatus enim est per omnia pro similitudine, absque peccato, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi, Hebr. 4. v. 15. c. 2. v. 17.

Quod si igitur *contemptum subire* cogimini, mementote, quod mundus eum præ vobis contemserit, & inter maleficos retulerit, Luc. 23. v. 33.

Quod si *in exilium vobis eundum*, recordemini, quod Christo idem acciderit. In infantia suâ ex Nazaret in Ægyptum fugere, Matth. 2. v. 13. Deinde ex Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 8. & alias quoque sæpè multumque ab hostibus suis abscondere se, coactus fuit, Luc. 4. v. 30. Joh. 8. v. 59.

Quod si *verbis amicis ex corde hypocritico salutemini*, perpendite, quod & Servator vester osculo proditus & morti traditus sit, Matth. 26. v. 49.

Quando *bona temporalia vobis eripiuntur*, cogitate, quod impii milites Christo vestimenta exuerint, & super eadem sortem miserint, Matth. 27. v. 35.

Si multa sustinere tenemini *ab infidelibus amicis*, qui non permanent in die tribulationis

tionis, vel etiam convertuntur ad inimicitiam, Sir. 6. v. 8. 9. reminiscimini, quod & Servator idem perpeffus fit, dum ab omnibus discipulis desertus, imò calce petitus est, ab eo, qui panes ejus edit, Psal. 4. v. 10. Matth. 26. v. 23.

Quod si in vocatione vestrà multas molestias devorare, & in sudore vultus vestri pane vestro vesci cogimini, Gen. 3. 19. respicite Christum, quomodo usque ad sanguinem laboraverit, propter peccata vestra, Matth. 26. v. 28.

Hoc ad animum revocantes, hunc antecedentem vestrum animosius sequimini, juxta illud: Si quis vult post me venire, abneget seipsum, Luc. 9. v. 23. Qui hoc non facit, non potest esse meus discipulus, Luc. 14. v. 27.

Capo Romanus ille belli Dux milites suos ita afatus est: Estote confidenti animo

-- Primus arenas

Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam.

Hoc postquam fecerunt, victoriam reportarunt. Ita & nos, quia Christum in omnibus nobis prædecessisse audimus, admonitionem Paulinam altâ mente repostam habere debemus: Per patientiam curramus, in proposito nobis certamine &c. Hebr. 12. v. 1. 4.

III. *Tanquam noster Provisor*: Memento, inquit, sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, q. d. quod si ejusmodi persecutio vobis ingruet, recordemini, quod non fortuito ita eveniat, sed quod jam olim id vobis prædixerim.

Hic duplex latet solatium.

Verè enim dixit Cicero: Omnia repentina videntur graviora.

At levius lædit, quicquid prævidimus ante

Et prævisa minus lædere tela solent.

Atqui scimus ex verbo Dei, quod omnes, qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. 12. Idè in tempore nos præparemus necesse est. Fili præpara animam tuam ad tentationem, Sir. 2. v. 1. seqq.

Præterea, quia Christus omnia præscit, quæ nobis evenire debent, & ad eò demensus est ut nè minimus capillus de capite nostro decidere possit, quem non in divina providentia sua consignaverit, Matth. 10. v. 30. Meritò nos confidere nec dubitare debemus, quin tempus & modum definierit, quamdiu cujusq; afflictio, quam ei imposuit, durare debeat: Fidelis enim est, & non patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13.

Servator noster non semper in cruce pendit, sed tandem suo tempore de angustia & de judicio sublatus est, Esa. 53. 8. Sic nec Deus in æternum afflictionem dabit justis, Psal. 55. 23. sed citò faciet vindictam illorum, Luc. 18. v. 7. & quando satis in furno afflictionis excocti sunt, Esa. 48. 10. educiturus eos est in refrigerium, Psal. 66. v. 12. & replebit in bonis domus suæ, Psal. 65. v. 5. donec eos ex hac lacrymarum valle transferet eò, ubi non audietur ultra vox fletus, & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed mera juba & triumphus in æternum, qui enim seminant in lacrymis, cum jubilatione metent, Psal. 126. v. 5.

Largiatur id nobis et Sanctus Deus, per & propter Christum Dominum & Servatorem nostrum in Spiritu sancto,

Amen.